

servari, aut quidquam boni fieri valeat, hoc in utraque propositione Scripturis Sacris, definitionibus Conciliorum, & Romanorum Pontificum, hoc Patrum traditioni, hoc universæ Ecclesiæ sensui, & certissimis Fidei nostræ principiis adversatur.

9 Eundem errorem damnavit Sorbona sæpius; nam, ut præteream Doctorem Parisiensem, autoritate Regis, & Archiepiscopi dilectorum, censuram adversus scripta Duaceni Cancellarii, de quibus in Proleg. pag. 49. col. i. ut nil dicam de censurâ plurium similiter Deputatorum adversus Epistolas Montaltii, Notas Wilhelmi Wendrokii, & Disquisitiones Pauli Irenæi; celeberrima est censura trium Episcoporum cum centum, & viginti septem Doctores data in Comitibus generalibus, anno 1656. die ultima Januarii, & postridie confirmata contra hanc Antonii Arnaldi propositionem, *Defuit Petro tentato Gratia, sine quâ nihil poterat; quam condemnarunt velut temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam.*

10 Contra Arnaldum autem propositionis Authorem, eadem Sacra Facultas ipsum à sinu suo repellendum, expungendumque ex albo Doctorem suorum, atque à corpore suo planè refecandum censuit, & ipso facto repulsum, expunctum, refectumque declarat, nisi intra diem decimum quintum mensis Februarii proxime sequentis mentem suam mutaverit, & huic præfenti censuræ subscripserit, coram Domino Decano, Illustrissimis Episcopis, Doctores, & prædictis Deputatis. Ne verò longius serpat superior illa Arnaldi doctrina, & quasi lues, quæ jam multorum animos occupavit, eadem Sacra Facultas decrevit, neminem post hoc, aut è Doctores ad Comitibus, & alia qualibet jura ad ipsam pertinentia, aut è Baccalaureis ad ullos actus Theologicos, sive ad disputandum, sive ad respondendum admissum iri, nisi ante huic quoque censuræ subscripserit: atque etiam, si quis Arnaldi superiora illa probare, asserere, docere, prædicare, vel scribere sit ausus, eum ab eadem Facultate prorsus repellendum esse. *Decrevit insuper hanc censuram suam prælo mandandam, & publicandam esse, ut omnes intelligant, quantum eadem Facultas pestilentem, & exitialem illam doctrinam execretur, ac detestetur.* Quod Decretum in hunc usque diem accuratè observatum est, & nuper iterum solenniter confirmatum. Millenos igitur esse oportuit, qui huic censuræ sexaginta annorum spatio subscripserint; inter quos non pauciores dein forsitan fuere Episcopi, quàm in Concilio subinde Oecumenico numerati sunt.

CAPUT VI.

Corollarium ex superioribus. Secundæ propositionis error ratione Theologicâ, & naturali convincitur.

1 **N**ON multo studio opus est, ut argumenta excogitentur adversus errorem tam exoticum. Cuius Theologiæ mediocriter perito facilè occurrunt plurima invicta, & manifesta adeò, ut assequi nequeam quo fascino, quibus præstigiis tot sibi conciliaverit, etiam post damnationem Apostolicam fautores. Tantùm colligenda sunt quæ in Scripturis, Conciliis, Patribus, ac Doctores superius sparsa dedimus.

2 Si absque gratiâ efficaci nihil boni facere possumus, nulla ad bonum datur gratia sufficiens inefficax. Frustraneum enim foret & sapientissimo Largitore indignum auxilium, cui cooperari nemo valeat. Frustranea simul redduntur præcepta, inutiles exhortationes ad bonum iis, qui efficaci gratiâ destituti sunt; nam quis sapiens hortetur ad impossibile? Quis nisi barbarus, tyrannus à corpore suo planè imperet? Quis nisi injustus, puniat omittentem, quod facere non potuit? Minæ omnes, & promissæ, blanditiæ, & terrores, invitationes & impropria, quem finem isthic habent, quem effectum? Cùm autem insipientia, crudelitas, injustitia Numini vero inesse nequeant, quale sibi Numini monstrum fingunt Janseniani, quale Ecclesiæ obtrudere cupiunt? Fallacem faciunt Redemptorem, omnes ad se vocantem: mendacem itaunt Stephanum, & Spiritum S. in eo dicentem Judæis: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*: Non enim resistitur Spiritui efficaciter trahenti; tractio autem inefficax, & sufficiens Quesnello nulla est: inefficax & non sufficiens prorsus inutilis.

3 Sublatâ ad bonum libertate, inducitur peccandi necessitas: frustrâ scilicet de obedientiâ deliberatur, ubi nulla est parendi potestas. Culpam verò, aut peccatum propriè dictum quis edoceat reperiri, ubi non est facultas vitandi? Sed & componere demeritum cum necessitate post Innocentii X. contra Jansenium Constitutionem nullus audeat Catholicus; atque ipsi hodie erubescunt hæretici. Peccatoribus contra Deum conquerendi ratio isto Quesnelli principio suggeritur, peccatis laxantur fræna, perit religionis, virtutis, boni omnis studium, omnis salutis cura. Sic majorem nulli morum dissolutionem invehunt, quàm qui aliàs videri cupiunt